



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber VII. De Bonitate Dei naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

D E  
 P E R F E C T I O N I B V S  
 M O R I B V S Q V E  
 D I V I N I S  
 L I B E R S E P T I M V S,  
 D E B O N I T A T E D E I N A T V R A L I  
 C A P V T P R I M V M.

*Quid sit Bonitas & perfectio Dei.*

S. Tho. 1. p.  
 q. 5. a. 1. &  
 q. 48. a. 1.



**B**ONVM dicitur proprie quod est *perfectum*; & bonitas rei eius, *perfectio*. *Perfectio* autem est duplex; alia naturæ, alia moris, quæ virtus & sanctitas dicitur. Itaque triplex in Deo bonitas spectari potest. Prima est, bonitas naturalis. Secunda est, bonitas moralis. Tertia est, bonitas beneficentiæ, quæ & *benignitas* dicitur. De quibus proximis Libris dicendum.

*Bonitas naturalis Dei.*

*Bonitas naturalis* in Deo est excellentia naturæ diuinæ, per quam habet omnem perfectionem in toto genere entis. unde etiam complectitur sanctitatem & benignitatem, aliaque diuina attributa, quatenus ad naturæ diuinæ perfectionem spectant. Cogita infinitam lucem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, infinitam pulchritudinem, infinitam dulcedinem, infinitum gaudium, infinitas opes, infinitam gloriam, infinitam maiestatem, infinitam sanctitatem: hæc omnia continet bonitas diuina, tamquam

quam infinitum bonorum omnium pelagus. Neque solum omne bonum in se continet, sed etiam eminentissime continet; mirum non per multas & diuersas formas vel qualitates, sed per vnā simplicissimam & eminentissimam formam, nempe per essentiam suam. Qui modus continendi, omnes eius perfectiones facit infinite excellentiores, quam si aliquo modo inter se distinctæ forent.

3 Quod vt melius percipiatur, notandum est quadruplex discrimen inter perfectionem Dei & creaturæ, etiam excellentissimæ. Primum, Quod Deus non habeat perfectionem & excellentiam suam ab alio, sed à se tantum: ipse enim est primus actus, prima perfectio, & primum bonum independens ab omni alio, fons inexhaustus omnis boni & omnis perfectionis: creatura verò omnem suam perfectionem & bonitatem habet à Deo. Sicut in rebus corporeis sol habet lumen à seipso, id est, non ab alio aliquo corpore; stellæ verò habent lumen à sole.

*Quadruplex  
discrimen  
perfectionis  
Dei & crea-  
turæ.*

4 Hinc sequitur alterum discrimen, Quod perfectio Dei sit prorsus illimitata & infinita, creaturæ verò limitata, & adstricta ad certam speciem. Cum enim perfectio diuina non sit ab alio, non habet à quo limitetur aut mensuram accipiat, ac proinde necesse est manere illimitatam in amplitudine sui conceptus: creaturæ verò perfectio cum sit à Deo, limitatur secundum modum quem ei imponit diuina sapientia, sicut omnia opera artis mensuram & modum & terminum accipiunt ab arte operantis.

*Cur perfe-  
ctio Dei sit  
illimitata.*

5 Tertium, Quod Deus omnem perfectionem suam habeat per simplicem suam essentiam, nulla alia forma vel modo reali accedente: secus in creaturis. Nulla enim creatura habet omnem perfectionem per suam essentiam, sed opus est infinitis propemodum formis & perfectionibus accessoriis, vt perfecta sit, vt patet in Angelis, quorum tamen natura inter substantias creatas est simplicissima & perfectissima. Vt enim omittam potentias & species intelligibiles, opus est illis plurimis habitibus, & illustrationibus, & actibus tum intellectus, tum voluntatis, vt perfecti sint.

*Per simpli-  
cem essentiam  
habet Deus  
omnem per-  
fectionem.*

6 Hinc sequitur quartum discrimen, Quod diuina perfectio non possit unquam augeri vel minui. Cum enim actu habeat omnem perfectionem possibilem, nulla potest ei fieri accessio; & cum habeat illam per essentiam, & à se, non potest ei vlla fieri detractio; oporteret enim ipsum essentiam suam amittere, vt vel minimum quid suæ perfectionis deserat: creaturæ verò perfectio potest

& sine fine augeri, & usque in nihilum imminui. Possent enim Angeli sancti & homines beati, Deo ita disponente, crescere sine termino in claritate visionis diuinæ & amore beatifico, & etiam omne bonum suum amittere.

CAPVT II.

Quo modo S. Dionysius explicet hanc bonitatem.

Rationes  
Dionysij.

Quo modo  
Deus dicitur  
ἀωτοτελής.

DIONYSIUS De diuinis nominibus cap. 13. adfert quatuor ra- 7  
tiones, cur Deus dicatur perfectus. Prima, Quia est ἀωτοτελής,  
id est per se perfectus, quo significatur, illum non accepisse perfectio-  
nem ab alio, siue ut à causa efficiente, siue ut à causa formali, sicut  
fit in creaturis, sed habere omnem perfectionem suam à sola sim-  
plicissima essentia sua. Videt ipsius perfectio non confurgit ex  
accumulatione multarum rerum, sicut in creaturis, quarum nulla  
potest dici ἀωτοτελής: sed ex vna re simplicissima, quæ ipsemet est,  
& ita per se secundum omne genus perfectionis est perfectissimus.

Quo modo  
ὑπερτελής.

Secunda, Quia est ὑπερτελής, id est, superperfectus, hoc est, omni 8  
perfectione conceptibili superior & excellentior. Nihil enim à  
mente creata tam magnum, tam eximium & excellens potest co-  
gitari, quin Deus infinitus sit excellentior & maior. Hoc denota-  
tur illa voce ὑπερτελής.

Tertia, Quia non potest augeri vel minui, tamquam omnia  
anticipata & præcepta per suam essentiam in se continens.

Quo modo  
ὑπερπληρής.

Quarta, Quia ita plenus & superplenus est omnibus bonis, ut 9  
veluti fons inexhaustus exuberet & redundet perpetua & incessa-  
bili largitione donorum in omnes res creatas. ὑπερπληρής, inquit,

Deus assidue  
omnia sui  
influxu per-  
ficit.

ἡ μίαν τὴν ἀπάνωσι, καὶ ταυτὴν, καὶ ὑπερπληρῆ, καὶ ἀνελάττωτον χορηγίαν,  
καὶ ἢ τὰ τέλεια πάντα τελεσᾷ, καὶ ἢ οἰκειᾷς διαποδνεῖ τελειότητος.  
id est, Exuberans vna incessabili, & eadem, & superplena & immi-  
nibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, & unumquodque  
congrua sibi perfectione adimplet. & paulò antè: Διατείνων ἐπὶ πάντα  
ἀμὰ καὶ ὑπερ πάντα ταῖς ἀνελεύτοις ἐπιδοσίαν, καὶ ἀτελεύτοις ἐπερ-  
γείαν. Pertingens ad omnia pariter, & supra omnia indefectibus lar-  
gitionibus, & numquam finendis operationibus. Vnde patet Deum 10  
dici perfectum, quia est auctor omnis perfectionis naturalis & su-  
pernaturalis in rebus omnibus, à summis & ipsi vicinissimis, usque  
ad extremas, à prima substantia separata usque ad infimam mate-  
riam;

Est auctor  
omnis perfe-  
ctionis in om-  
nibus qua  
esse habent.

riam; & ipsius radium pertingere ad omnia, idque non semel tantum, sed assidue & indefinenter.

11 Neque solum quia est auctor ut causa efficiens, sed etiam quia est exemplar & mensura omnis perfectionis. In rebus enim creatis dicitur aliquid perfectum in natura, quia est commensum suo exemplari, secundum quod est conditum in tali specie. Sicut in arte factis id est perfectum, quod exacte respondet conceptui & regulis artis. Unde ipsum exemplar est per se & in se originaliter perfectum absque respectu ad aliud, tamquam prima perfectionis regula. Itaque ipse *perfectus* dicitur, & tamquam fons, ex quo omnis perfectio naturae in omnia quae sunt, manat; & tamquam mensura, ex cuius commensatione ipsa perfectionis ratio pendet.

12 Hinc fit ut omnia opera Dei sint summe perfecta, singula in sua specie. Cum enim Deus sit in se summe perfectus in toto genere entis, ita ut nihil illi accedere possit, fecit omnem creaturam in sua specie summe perfectam, ut nulla ei intra illam speciem possit fieri additio: sicque perfectio summa creaturae in certa specie est signum summae perfectionis diuinae in toto genere entis.

*Omnia Dei  
opera summe  
perfecta.*

### CAPVT III.

#### *Recollectio precatoria, de Bonitate naturali Dei.*

13 **B**ONVS Dominus & amabilis valde, & bonitatis eius non est finis. Non hoc aut illo modo, non hoc vel illo genere boni bonus est Conditor omnis boni, sed absolute, sine principio, sine fine, sine limite, sine modo, sine mensura omne bonum anticipans, & vnicè complectens.

14 Nemo tibi id prior dedit, ut retribuas ei, & gratiam referas; sed a teipso habes, simplex & primæua bonitas, unde omnia boni dulcedinem pro suo captu sugunt. Tu enim es ipsa boni plenitudo & vniuersitas, omnis boni fontalis origo, cui omnia à suprema substantia creata vsque ad extremam materiam, omne bonum

15 suum acceptum ferre debent. Nihil illorum per essentiam totum bonum suum obtinet, sed multis opus est ut vel in suo dumtaxat genere & intra limites suae naturae sint perfecta & completa. Tu per simplicissimam essentiam omnem excellentiam, omnem perfectionem, omnem beatitudinem, omne bonum possides, nec præter teipsum opus est tibi re aliqua. Illorum bonum angustum est, &

M 3 finibus

finibus certi generis circumscriptum, adeo ut aliorum bona in se-  
 ipso non comprehendant. unde & infinitis rebus nobis ad vitam  
 opus est, cum singula parum per se praesent. Tuum vero, hoc est,  
 simplicis essentiae tuae bonum est immensum, redundantissimum,  
 ad omnia per se sufficientissimum. Cum enim sis ipsa primordia-  
 lis origo omnium, nihil est à quo ratio boni in te limitari aut cir-  
 cumferri possit. Sicut igitur essentia tua, & potentia, & sapien-  
 tia infinita est, omni carens limitatione, quia prima, quia à nullo,  
 ac proinde non habens unde limitetur: ita etiam bonitas & per-  
 fectio tua limite caret, quia prima est, nec ab ullo pendens unde  
 limitationem accipere possit. Omnis enim limitatio rationis per  
 se illimitata debet fieri à causa efficiente. Quare cum perfectiones  
 quae in te sunt, nullam causam efficientem habeant, necesse est  
 eas omni limitatione carere.

Vae miseris! qui extra te per rerum infimarum multiples clas-  
 ses, & inextricabilem multitudinem, diuitias, voluptates & hono-  
 res tanto labore, tanta sollicitudine, tanto aeternae salutis periculo  
 quaerunt. Poterant haec omnia in te multo felicius & facilius inue-  
 nire & possidere, non ad huius dumtaxat vitae breue momentum,  
 ut haec mundana, sed per totam aeternitatem. In te enim haec om-  
 nia sunt purissima, & simul collecta, & imensa. In te est auri de-  
 cus, gemmarum pulchritudo, latifundiorum fructus, hortorum  
 amoenitas, palatiorum magnificentia, oppidorum opulentia, regno-  
 rum gloria. quidquid in his omnibus est suave, gloriosum, hono-  
 rificum, amabile, id totum in te copiosissime, purissime, vniuersi-  
 me & sempiternè continetur, omnibus imperfectionibus quae in  
 creatis bonis reperiuntur semotis.

In te omnes deliciae & voluptates, omnes recreationes & amoe-  
 nitates, omnia solatia & gaudia, omnis pulchritudo & felicitas,  
 omnis beatitudo & consummatio. A te omnia dulcia suam tra-  
 hunt dulcedinem, & omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia  
 lucida suum splendorem, omnia viuentia suam vitam, omnia  
 sentientia suam sensationem, omnia mouentia suum vigorem, om-  
 nia intelligentia suam notionem, omnia perfecta suam perfectio-  
 nem, omnia quomodolibet bona suam speciem & bonitatem.

Tu omnis perfectionis auctor & exemplar, & finis & conser-  
 uator, omnem terminans iniquitatem, omnem transiliens finem,  
 omnem definiens mensuram, omnem fingens speciem, omnem  
 formans informitatem. Tu per te perfectus, & superperfectus, &  
 ante-

anteperfectus, omnem perfectionem & excellentiam simplici unitate præhabens.

- 20 Tu sine quantitate magnus, sine qualitate bonus, sine numero infinitus, sine figura formosus, sine tempore æternus, sine loco immensus, sine extensione diffusus, sine multiplicitate perfectus, sine situ altissimus. Tu centum vniuersi, ad quod omnia ingenito pondere tendunt, in quo omnia quiescunt, à quo omnia sustentantur. In te omnis amoris illicium, omnis desiderij consummatio, omnis motionis terminus, omnis appetitus satietas.
- 21 Quanta vis supereminens bonitatis tuæ, ad cuius vel tenuem radium, vel umbratilem speciem tanto impetu currit omnis creatura! Singula enim suum quoddam bonum appetunt, & ad illud omni conatu feruntur; quod bonum nihil est aliud quam vestigium quoddam tenuis bonitatis tuæ. Hoc vniuersam creaturam trahit, hoc tantos motus in mundo excitat: quidquid enim in vniuersa creatura mouetur, quidquid agitur, quidquid operatur, boni appetitu mouetur, agitur, operatur. Si umbra tenuis tanto trahit impetu, quanto trahet ipsa veritas? illa inquam pulchritudo & bonitas infinita clarè conspecta?
- 22 Trahe mentem meam ad te, ô bonitas immensa! adstringe eam tibi supra creata omnia vinculo insolubili, nexu amoris æterno. Quid enim quæram aut optem extra te, qui omnis boni es plenitudo, & fons, & finis, & suauitas, omni bono melior & excellentior? ergo ceteris neglectis semper te cogitem, & amem, tibi inhaeream, & in te commorem; te laudem & benedicam, & omnes vires animæ meæ, omnisque vita mea seruiat tibi. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara mihi sint omnia tua, & tu, Deus meus, supra omnia. Perſce me secundum altissimum beneplacitum tuum in cognitione & amore tui, & transfer me totum in te ipsum, vt vnus tecum spiritus efficiat. Amen.